

~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

32
DISPUTATIO LOGICA
De
RELATIONE,

Quam
D. O. M. A.

In illustri Athenæo Salano

PRÆSIDE

M. FRIDEMANNO *Bechmann/*

Logices & Primæ Philosophiæ Profess.

Publ.

Publico Examine ex-
ponit,

JOHANNES HANSELLI,

Nicopolio-Hungarus

AUTOR & RESP.

Ad diem XXV. Julii

H. L. Q. C.

STANNO NISIANO

ANNO

MDCLX.

26.

Hab. III. 2110



PATRIÆ PATRIBUS,
SPECTABILIBUS ac MAGNIFICIS
DOMINIS

DN.

NICOLAO OSTROSITTS,
de Ghiletnicz, Equiti Aurato, Sacræ &
Apostolicæ Regni Hungariæ Coronæ Custodi,
Arcium Illava, Lypto-Uyvar Castellique Ludan
Hæreditario ac perpetuo Domino,

DN.

MATTHIÆ OSTROSITTS,
de Ghiletnicz, Equiti Aurato, Arcium
Illava, Lypto-Uyvar, Castellique Ludan Hæ-
reditario ac perpetuo Domino,

DNN.

Patronis, Mæcenatibus, unice colendis

Exercitium hoc Academicum

Submisso animi affectu

D.D.D.

AUTOR.



בְּשֵׁם יְהוָה

THES. I.



Elatio descendit à Verbo *Refero*, quæ vox varias significationes habet. Interdum idem est quod *enarrare* aliquid, inde *Relatio* est nihil aliud quam *narratio* alicujus rei: *Relatum* vero ipsa res narrata. Interdum *Referre* idem est quod *iterare*, quo sensu Comœdiam referre dixit Terentius *id est*, denuo agere & iterare. Familiare etiam est Ciceroni Verbum *Refero* usurpare pro *dirigere*, v. g. cum *Omnia*, inquit, *ad eorum voluntatem dicta factaque referuntur*, id est, *diriguntur*, & hoc modo *Relatio* nihil aliud erit quam ipsa directio seu ratio per quam res in aliud dirigitur. Verum hæc acceptiones non sunt hujus loci.

II. Cœterum *Relatio* secundum Scheibl. l. 2. metaph. c. II. n. 4. dupliciter sumitur vel EFFICIENTER vel FORMALITER. Priori modo est nihil aliud quam actio, qua unum ab aliquo ad aliquid refertur, & neq; sic de ea hîc sermo est. Posteriori autem modo accepta est illa ipsa ratio, unde quid tale est, ut relatum dicatur seu habitudo vel respectus quidam unius ad alterum. Et hæc acceptio huc facit. His ita positis, accingimus nos nunc ad distinctiones aliquas, vocis ambiguitatem tollentes, ut constet quænam huc propriè pertineat.

III. Dividitur itaque *RELATIO*. I. IN REALEM & RATIONIS. REALIS est, quæ in rebus citra mentis operationem est, talis *Relatio* est Similitudo inter duo alba; hæc enim sibi invicem sunt similia nullo etiam intellectu id cogitante, neque enim Similitudo hæc consistit in comparatione actuali vel formali intellectus nostri, sed radicali & virtuali, quæ est ipsa rerum ad se invicem habitudo, quam non facit intellectus, sed jam factam invenit. RATIONIS est, quæ tantum fit per mentis operationem e. g. Si quis diceret DEUS EST

A 2

LIGNEUS

LIGNEUS, relationem identitatis constitueret inter DEUM & Lignum : sicut autem hæc identitas in re ipsa non datur, sed saltim à ratione fingitur, ita respectus inter Lignum & DEUM in adducto exemplo est ficta seu Rationis Relatio.

IV. *Svarez* ut fufius explicet relationem rationis, *Diff. Metaph. ult. Sect. 6. n. 2.* duo ad eam requirit, 1. Ut in ea non concurrant omnia, quæ solent esse necessaria ad relationem realem, qualia sunt Subjectum capax, Fundamentum reale cum debitâ relatione fundandi & realis terminus actu existens cum sufficienti fundamento reali. Hæc omnia non possunt communia esse relationi rationis, alias enim in nullo posset distingvi à relatione reali. Nam v. g. si haberet fundamentum reale, aut rationem fundandi realem, non opus esset fictione mentis nostræ, ultrò enim & nemine cogitante resultaret relatio aliqua, realis scilicet. 2. Ut aliquid eorum, quæ ad relationem realem concurrunt, fundet aliquo modo saltim remotè relationem rationis, vel potius modum concipiendi, quo relatio rationis confingitur, & remote fundare autem *Svarezio* est saltim occasionem præbere relationi rationis.

V. Hinc jam desumit *Svarez* primam divisionem relationis rationis, & ait, quandam esse omninò confictam per intellectum absque ullo fundamento ex parte rei; quandam vero in re habere aliquod fundamentum, licet non sufficiens: nomine autem fundamenti intelligit condiciones ad relationem realem necessarias. Ad priorem speciem refert relationes Rationis, quæ concipiuntur inter duo entia rationis, ut & alias plures, *vid. d. l. n. 3.* Relationes autem rationis posterioris generis iterum dividit pro diversitate fundamentorum, & varietate defectuum earum conditionum quæ ad relationem realem requiruntur. Verum nec paginarum angustia nec instituti ratio permittit fufius eas deducere, cum etiam vel nulla vel exigua in illis deprehendatur utilitas.

VI. Hoc tamen adhuc tangendum, quod ad Relationem Rationis communiter referuntur etiam relationis quæ intercedunt inter *Genus & Speciem, Subjectum & Prædicatum & his similes.* Verum minus recte, Nos eas reales esse dicimus, quod patet inde, quia hæ Relationes dantur in rebus etsi nemo de iis cogitet. Nam si vel maxime concedatur, Subjectum & prædicatum constitui per intellectum

intellectum, postquam tamen constituta sunt, quendam ad se respectum habent, etsi de iis nemo amplius cogitet. Falsum etiam est, quod Genus & Species constituentur ab intellectu, cum nemine cogitante in rerum naturâ sint genera & Species, ut alibi fufius ostensum fuit. Unde cum e. g. Homo ad animal refertur, tanquam species ad genus, hæc relatio est vera & realis, sicut enim veræ sunt hæ prædicationes; Homo est species animalis, & Animal est Genus hominis, & quidem citra mentis operationem, ita quoque citra mentis operationem homo ad animal, & animal ad hominem habet relationem, & homo nemine cogitante tanquam species ad genus, animal nemine cogitante tanquam genus ad Speciem refertur, quæ Relatio non potest non esse realis.

VII. Dividi solet *Relatio* 2. in *Relationem Secundum dici* & *relationem secundum esse*. Verum hæc relationis divisio diversas à diversis patitur explicationes. Juxta *Sanchiez Comment. in Arist. Log. Tom. 2. q. 35.* Relatio *Secundum dici* est nihil aliud quam relatio Transcendentalis, Relatio autem *Secundum esse* ipsi erit prædicamentalis. Verum non omni ex parte accurata esse videtur hæc sententia. Negari enim non potest, quod transcendentalis relatio sit habitudo aliqua in esse, cum v. g. causa non tantum dicatur cum habitudo ad causatum, sed habeat in se esse habitudinis causæ (formaliter spectatæ) ad causatum. Ubi igitur in re est esse habitudinis unius rei ad alteram, ibi est ipsa relatio secundum esse. In relatis Transcendentalibus (ut in causa formaliter sic dicta) est esse habitudinis unius rei ad alteram; ergò in transcendentalibus est relatio Secundum esse.

VIII. Nec est quod dicat Sanchiez, relata transcendentalia non significare ipsas habitudines relativas. Falsum enim hoc est. Quis negaverit causam quatenus in actu secundo est causa significare ipsam habitudinem ad causatum? cum in actu secundo sine causatò ne quidem concipi possit.

IX. *Avincenna lib. 3. Metaph.* Relationem Secundum dici coincidere putat, cum relatione rationis, qua ratione, relatio secundum esse erit ipsa relatio realis, & hæc secunda divisio coincidet cum præcedente. In hac sententia refutanda operosus est *Suarez. Diss. Metaph. 47. Sect. 3. n. 8. & seqq.* qui videatur.



X. Nos ut rerum fiat compendium, hoc modo progredimur. Relatio Secundum dici, aut actu rebus competit, aut actu non competit. Si actu rebus inest, jam non est relatio Secundum dici, sed relatio secundum esse: si actu non inest rebus; aut potest aliquando actu inesse rebus, aut ei actu inesse repugnat. Prius dici vix poterit, cum dicente Svarezio *l. d.* Relata secundum dici sint illa, quorum esse est absolutum, ut non nisi per modum habitudinis seu relationis explicentur, & consequenter etiam concipiantur. Ergo relatis secundum dici videtur regugnare actu in se habere relationem, & per consequens relationi Secundum dici quoque repugnare videtur actu rebus competere. Relinquitur ergo quod *Relationi Secundum dici* rebus actu inesse repugnet. Quaecunque autem relatio actu rebus non inest, ut etiam actu inesse ei repugnet, illa est relatio rationis. At verò relatio secundum dici est talis Ergo est relatio rationis, ut ita omnino Avicennæ sententia non prorsus videatur rejicienda esse. Interim nos nemini hac de re movebimus litem, sed exercitii gratiâ hæc dicta esse volumus, eum qui firmioribus argumentis oppositum poterit probare, libentius audituri.

XI. Recepta insuper est divisio Relationis Realis in *Prædicamentalem Transcendentalem*. *Prædicamentalis* est, qua unum ad alterum refertur ut pure terminum. Refertur autem unum ad alterum ut pure terminum, quando alterum respicit non ut Causam vel Causatum, nec ut Subjectum vel objectum &c. sed tantum ut terminum e. g. Pater & filius sunt relata Prædicamentalia quia se non respiciunt ut causam vel causatum vel Subjectum &c. sed unicè ut terminum. *Transcendentalis* est, qua unum ad alterum non refertur ut pure terminum, sed circa illud aliud quoddam munus exercet, vel in ratione Objecti vel Causæ &c. e. g. Inter DEUM & creaturam est respectus transcendentalis, quia DEUS non respicit creaturam ut pure terminum, sed etiam ut effectum à se productum. Creatura autem refertur ad DEUM ut ad Causam; Sic motus non respicit terminum ut pure terminum, quia Motus præter hunc respectum exercet aliquod munus circa terminum, quatenus est causalitas quædam & influentia, per quam terminus accipit esse.

XII. Verum

XII. Verum hæc explicatio *Roderico de Arriaga* dura atque fallibrosa videtur, unde res ipsa postulare visa est, ejus verba quibus arrodit nostram sententiam, adducere. Sic autem ille *Disput. 12. Log. Sect. 4. n. 16. Fateor*, inquit, à me non intelligi quid hi *Autores velint, nec quid sit respicere ut pure terminum*: & paulò post; *Relatio inquit Patris ad Filium est Prædicamentalis secundum communem sententiam, & tamen Pater efficit aliquid circa filium, quandoquidem illum producit.* num. autem 17. ait; *Absolute impugnatur hæc doctrina quia Creatura respicit DEUM relatione transcendentali in omnium sententia, & tamen respicit DEUM ut pure terminum, quia Creatura nullum munus exercet circa DEUM: imò etsi DEUS exerceat aliquod munus circa creaturam, eam scilicet producendo, non propterea DEUS etiam in eorum Sententia respicit transcendentaliter creaturas actu existentes.* Imo expresse dicit, qui sic sentiunt *Rem claram obscurare potius quam illustrare.* Denique suam sententiam proponit & dicit *Facilius percipitur essentia relationis Transcendentalis & Prædicamentalis ex hoc, quod hæc sit Accidentalisis, illa vero Essentialis.*

XIII. Verum non probat *Arriaga* quod probare debebat, Nam (1.) quod hæc non intelligit, id non *Autoribus* hujus Sententiæ, sed sibi imputet, cum satis dare explicatum sit ab *Autoribus* quid per τὸ respicere alterum ut pure terminum intellectum velint. (2.) Ad Primum exemplum adductum Respondemus. Pater bifariam potest considerari, I. *Formaliter* ratione Paternitatis, II. *Materialiter* quatenus scilicet est persona aliqua. Cum igitur *Arriaga* dicit Patrem esse causam filii eumque respicere ut Effectum à se productum concedimus, si intelligatur de Patre posteriori modo quatenus scilicet est persona; Priori autem modo negamus. Neq; enim Pater producit filium secundum esse Relativum, vel ut formaliter Correlativa sunt, sed secundum esse Absolutum, & prius Pater est causa filii, quam dicatur relatum. Prius enim genuerit filium necesse est, quàm ad ipsum referatur. Pater ergo si formaliter spectatur, falsum est, quod aliquid circa filium efficiat. (3.) Ad alterum exemplum Respondemus, Negando quod Creatura respiciat DEUM ut pure terminum cum ad DEUM referatur quoque tanquam effectus ad causam ut supra ostensum. Quod denique ait *Arriaga*, Prædicamentalem & Transcendentalem in eo distingvi

distingvi, quod illa sit *Accidentalis* hæc verò *Essentialis* in eo valdè errat. Falsum enim est, quicquid vel ipse vel alii dicant, quod transcendentalis semper sit essentialis, sumamus enim v. g. Relationem DEI ad Creaturas, quâ ad eas ut causa refertur, quam transcendentalem vocant, hæc sane ratio de essentia DEI non est: Sicut enim DEUS ita produxit creaturas, ut potuerit eas non producere: ita ad illas quoque habet relationem, ut eam possit etiam non habere: Ratio autem quam quis ita habet, ut possit etiam non habere, qua ratione erit essentialis? quod enim quis potest habere & nō habere, id potest ei adesse & ab eō abesse: at vero quicquid potest alicui adesse & ab eō abesse, id non est essentialis sed accidentale, quod ex Porphyrio discere poterat Arriaga Isag. c. 5. §. 1. Jam vero ratio transcendentalis, quâ DEUS ad Creaturas refertur, ita DEO competit, ut ab eo potuerit abesse, qua ratione igitur hæc transcendentalis ratio DEO erit essentialis? nugæ sunt. Idem posset ostendi de aliis.

XIV. Hæc divisio ut rectius intelligatur notandum est primò quomodo Ratio Prædicamentalis & Transcendentalis conveniant, secundò quomodo differant. Convenire in eo dicuntur, quod tum Prædicamentalis tum Transcendentalis sit Ratio Realis. De Prædicamentali res clara est. Transcendentalis quod sit realis, si non aliunde saltim inductione posset probari: Causa ad causatum & hoc ad illam refertur nemine cogitante, quæ ratio est transcendentalis: similiter Subjectum ad accidens, & hoc ad illud: Potentia ad objectum, & hoc ad illam refertur nemine cogitante, hæc relationes autem sunt transcendentales. Ergò Transcendentales sunt in rerum natura nemine cogitante, & consequenter sunt reales. Eadem ratio est in reliquis.

XV. Discrimen Relationis Prædicamentalis à Transcendentali non est unum *Primum* patet ex ipsis Definitionibus supra adductis. Ubi ostensum quod ratio Prædicamentalis sit, quâ unum ad alterum ut purè terminum refertur. Transcendentalis veto qua unum respicit alterum non ut purè terminum, sed ita ut etiam circa alterum aliud munus exercent. *Vid. Cajet. de Ente & Essen. c. 7. Secundum est*, quod Prædicamentalis respectus est talis ut à natura non sit per se intentus, intentione primaria, sed consequatur

quatur posito fundamento & Termino: Transcendentalis verò sæpe fit ex primariâ intentione agentis. Sic v. g. Medicus producit sanitatem intentione primariâ non simpliciter sed ut inhæreat in ægro. *Tertium* est, Relationis vel relativi Transcendentalis potest esse aliqua actio: Prædicamentalis vero nulla vis est & efficacia.

XVI. Hisce præmissis, dicimus ad præsens spectare potissimum relationem prædicamentalem, quæ licet supra quoque à nobis tacta fuerit & descripta, ab aliis tamen definitio hoc modo etiam proponitur: *Relatio Prædicamentalis est accidens reale, cuius totum esse est ad aliud referre.* In qua descriptione sequentia observant quod dicitur *Accidens reale*, quibus verbis excludunt 1. Relationes Divinas, quæ non sunt accidentales seu accidentia à Substantia Dei realiter distincta, sed Substantiales 2. Excluditur hoc modo Relatio Rationis, ratio est, quia accidēs sub quo relatio quasi species sub genere continetur, verum & reale ens est, quod Relationi Rationis non convenit, ut per se evidens est, indeque nec accidens tanquam Ens reale potest esse commune genus relationis Realis & rationis. Verum hic videtur aliquid obstare ei quod dictum, accidens esse Ens reale. Nam *Aristot. lib. 7. Metaph.* & alibi ait, accidentia non esse propriè entia. Sed Respond. Aristotelem dicto loco loqui non *absolute*, sed *relative*, respectu scilicet Substantiæ considerata accidentia non sunt proprie entia nempe tam perfecta quam substantiæ, cum Substantiæ ita sint entia ut per se existant, qua ratione accidentia utique propriè non sunt entia. Idem erit dicendum de relatione secundum dici si quis cum Avicennâ eam pro relatione rationis habere velit. Per reliqua verba, quæ ponuntur loco differentiæ excluduntur non tantum alia accidentia nempe absoluta (hoc ipso enim quo absoluta sunt contradictionem implicat, quod totum eorum esse sit ad aliud referre) sed & relationes transcendentales. Nam quod dicitur totum esse relationis prædicamentalis consistere in $\tau\omega$ ad aliud referre, sine dubio subintelligendum erit tanquam ad purum terminum. Hæc ratione autem relationum transcendentalium totum esse non consistit in $\tau\omega$ referre ad aliud, cum illæ non referant unum ad alterum ut purum terminum.

B

XVII. Nunc

XVII. Nunc consideranda etiam sunt ea, quæ ad relationem requiruntur & potissimum sunt quatuor. 1. *Subiectum* 2. *Fundamentum*. 3. *Ratio fundandi*. 4. *Terminus*. De his singulis ordine aliquid dicemus. Relationem requirere Subiectum inde patet, quia est accidens, de essentia autem accidentis est inesse Subiecto. Ergo & relationem tanquam speciem accidentis, habere Subiectum necesse est. *Subiectum autem hoc nihil aliud est quam Ens absolutum quod relationem suscipit & ab eadem denominatur* v. g. Subiectum Paternitatis est homo (est enim ens absolutum) qui à Paternitate Pater denominatur.

XVIII. Hic probe observandum est, quando dicitur, Relationem requirere subiectum, id intelligi de relatione non in Concreto sed in Abstracto, nam relativum in Concreto non habet propriè Subiectum, sed potius est aliquid constans ex Subiecto & Relatione si scilicet formaliter sumatur quatenus relativum est. Notanter dico: Si formaliter sumatur: Interdum enim ipsum Subiectum relationis dici solet relativum, *hoc est*, tanquam affectum non tanquam constitutum relatione.

XIX. Subiectum communiter distingvi solet in *Proximum & Remotum*. *Proximum* vocant, cui Relatio inest proximè & immediatè. *Remotum* cui relatio inest mediatè, mediante scilicet Subiecto primò. e. g. Cum duo ligna sunt æqualia, æqualitas ista est relatio, hujus relationis nempe æqualitatis Subiectum proximum esse dicunt quantitatem, Remotum vero putant esse ipsum corpus seu Lignum. Verum si ex mente Aristotelis de hac re loqui velimus, non nisi unum statuendum erit Subiectum relationis nempe Substantia. Nam Subiectum secundum Philosophum debet esse Substantia & quidem Prima. Ergo accidens non potest esse Subiectum, & consequenter unum tantum erit Subiectum nempe Substantia. Quod attinet allatum exemplum de æqualitate, cuius Subiectum proximum esse dicitur Quantitas tanquam accidens, Respondetur Æqualitatis illius esse unicum subiectum nempe Corpus, quod verò quantitatem attinet, illa non est Subiectum æqualitatis, sed est saltim accidens, quo interveniente seu mediante æqualitas corpori tanquam verò Subiecto competit. Nam accidentia, ut *Dn. Praeses in Collegio suo in Partem Specialem*
Metaph.

Metaph. in Prædicam. Relationis ostendit, corporibus insunt quodam ordine, ita ut unum insit corpori mediante alio, ut tamen alterius Subjectum non sit. e. g. Primo in corpore datur accidens, quod dicitur superficies, mediante hoc accidente corpori inest aliud accidens, nempe color, ut tamen superficies quâ mediante corpori color inest, non sit Subjectum coloris. Sic etiam de æqualitate sentiendum est, ut scilicet subjectum ejus sit tantum corpus v. g. lignum, quantitas autem sit accidens, quò mediante inest ligno ista æqualitas.

XX. Et sane hæc Sententia non videtur esse nulla, nam quomodo quæso accidens, quod ferè non est Ens, teste Aristotele, hoc est, debilem admodum existendi rationem habet, poterit esse subjectum & aliud in se sustentare? medium autem commodius dici potest, quo interveniente relatio inest Subjecto vero & propriè sic dicto. Nec obstat quod v. g. quantitas ab æqualitate denominatur & dicitur æqualis, ex quo videtur sequi quod omninò quantitas sit Subjectum æqualitatis. Nam Respondetur, quod nulla sit consequentia, non sequitur, hoc ab illo denominatur E. est ejus Subjectum. Sic Lapis cum videtur, dicitur visus, & sic à visione denominatur, nec tamen est visionis subjectum: ab adoratione DEUS denominatur, dicitur enim adorari, quis autem dixerit, adorationis subjectum esse DEUM? Deinde quid obstat quo minus accidens denominetur ab altero, quò mediante eò inest subjecto, sicut superficies ab albedine alba dicitur, quia albedo mediante superficie inest corpori.

XXI. Ut autem alicui subjecto convenire possit relatio, requiritur, ut Subjectum illud habeat fundamentum, propter quod ipsi competere possit relatio, unde lapidi non potest tribui paternitas, quia in lapide nullum paternitatis fundamentum datur, nempe potentia generandi. Hic verbo monendum est quod Subjectum & Relativum non sint plane unum. Nam Relativum est id quod relationem ipsam formaliter includit, sicut v. g. Pater est relativum quod paternitatem primariò significat & formaliter includit. Subjectum autem contra non includit formaliter relationem, sed est res absoluta cui relatio inexistit; sicut v. g. homo non includit formaliter paternitatem sed est Subjectum ejus.

XXII. De Secundo requisito quod est Fundamentum, monendum est, quod possit dupliciter sumi. Interdum enim sumitur *Late* prout sub se etiam complectitur Rationem fundandi, quæ aliàs vocatur *Fundamentum Proximum*, & sic Relationis fundamentum est, per quod aliquid non tantum aptum est ut relationem habeat, sed propter quod etiam ratio alicui actu competit, & hoc sæpius fit, ut seorsim non detur ratio fundandi à fundamento distincta e. g. cum album albo simile dicitur, fundamentum quo album aptum est ad similitudinem, est albedo; illa vero ipsa albedo tanquam fundamentum est etiam ratio fundandi, seu fundamentum proximum, quia positâ eâ proximè ponitur similitudo, seu positâ eâ statim unum album actu ad alterum refertur. Interdum sumitur fundamentum *Strictius*, & est id, quo quid aptum est ad relationem habendam & sic est distinctum quid à ratione fundandi & alias dicitur *Fundamentum Remotum*. e. g. In homine adulto est potentia generandi, quæ est fundamentum quo homo aptus est ad Paternitatem recipiendam, sed non est ratio fundandi, cum posita generandi potentia non statim ponatur Paternitas.

XXIII. Dari autem Fundamentum Remotum in Relatione vel ex inde patet, quod ratio talis sit naturæ, ut nec per se fiat, nec per se à natura sit intenta, sed consequatur & quasi resultet in Subiecto suo, posito Terminò; Ergo requirit in Subiecto aliquam realem rationem, ob quam in illo resultare possit talis ratio, & hanc rationem nos vocamus Fundamentum, quod sic ad essentiam relationis pertinet, ut sine eo ratio esse nõ possit. Notanter autem non per actum, sed potentiam describitur fundamentum, quod scilicet sit ratio per quam aliquid aptum est, ad aliud referri. Unde si v. g. Unum tantum album esset in rerum natura, albedo posset dici fundamentum similitudinis, quia per albedinem unicum illud album esset aptum referri ad aliud album si aliud album existeret. Si vero fundamentum esset causa relationem inferens; posito fundamento, semper necessum foret relationem dari quod falsum esse ex exemplo allato patet.

XXIV. Hæc non videntur omnia placere Arriagæ *Disp. Log. 12. Sect. 1. n. 1.* qui fundamentum putat esse Relatum seu Subiectum. Verum 1. videtur esse ambiguitas in voce *Fundamentum*. Si enim funda-

fundamentum relationis illud dicitur, quod recipit & sustentat relationem, sicut alias fundamentum dicitur rem sustentare, conceditur totum, quod scilicet Subjectum sit fundamentum. Sed hæc acceptio hujus loci non est. Si vero fundamentum sumitur pro eô, quo quid aptum est habere relationem, fundamentum qua tale, non potest esse Subjectum, cum Subjectum recipiat relationem, fundamentum autem eam non recipit, sed per illud recipitur in Subjecto. Dico *Fundamentum qua tale*: Nam quoad rem ipsam fundamentum potest esse Subjectum, ut ex seqq. patebit.

XXV. Controversia hic agitari solet, *An fundamentum hoc à Subjecto semper sit realiter distinctum*; vel ut ab aliis proponitur, *An fundamentum hoc semper debeat esse accidens, quod à Substantiâ realiter differt*. *Svarez Disp. 47. Sect. 7. n. 2.* dicit quæstionem intelligi posse dupliciter, vel de Subjecto Proximo vel de Remoto & ultimo. De proximo dicit concedi, quod fundamentum ab eo non semper realiter differat, exemplo quantitatis rem putat esse claram, cum quantitas sit fundamentum æqualitatis tanquam relationis, & simul etiam Subjectum proximum.

XXVI. Verum sicut hanc duplicem Subjecti acceptionem supra rejecimus: ita opus non est, ut huc descendamus, verum est, fundamentum non debere esse realiter distinctum ab illo accidente, quo interveniente relatio Subjecto competit, ut probat allatum exemplum, sed illud accidens, quo mediante relatio Subjecto competit, non statim est Subjectum. De ipso igitur ut *Svarez* vocat ultimo, seu de Substantia quæstio est, an ab illô fundamentum semper sit realiter distinctum, an vero interdum sit ipsum Subjectum seu ipsa Substantia.

XXVII. Multis placet affirmativa, quod scilicet fundamentum semper debeat esse accidens, & sic à Subjecto realiter distingui. Possunt pro ista Sententia produci rationes. 1. Si fundamentum potest esse Substantia, sequitur relationem esse perfectius accidens, quam omnia alia accidentia, ratio consequentiæ est, quia immediatam unionem habebit cum substantia, quod fane majorem arguit perfectionem. 2. Relatio est accidens. E. mediante alio accidente tanquam fundamento debet Subjecto inesse, adeoque fundamentum accidens esse debet, non substantia. 3. Si

Relationis fundamentum potest esse Substantia, sequitur quod non sint quatuor requisita relationis. Consequens est falsum. Ergo & antecedens. Consequentia probatur, quia si relationis fundamentum potest esse substantia, sequitur quod fundamentum sit ipsum subiectum, & consequenter fundamento non sit opus.

XXVIII. Verum rectius sentiunt, qui docent, Fundamentum non semper esse accidens, sed interdum esse substantiam, quæ sententia probari potest hoc modo: Si Substantia interdum est ratio, propter quam unum potest ad alterum referri, sequitur quod substantia interdum sit relationis fundamentum. Verum est prius. Ergo & posterius. Major est certa, & patet ex definitione fundamenti. Minor probatur, quia v. g. cum Petrus dicitur similis Paulo, est ratio, nempe Similitudo, ratio autem seu fundamentum propter quod Petrus potest referri ad Paulum per istam similitudinem non est accidens, sed substantia ipsa, scilicet Natura humana, cujus ratione sunt similes. Sic fundamentum Paternitatis est potentia generandi, ut communis fert sententia, quæ est Substantia. Et sunt qui statuunt ipsam personam patris esse fundamentum, quod fundamentum idem est cum Subiecto seu Substantiâ.

XXIX. Ad Argumenta opposita facilis est responsio. In *Primò* negatur consequentia. Perfectio enim major vel minor in accidentibus non consistit in hoc, quod vel mediate vel immediate unita sunt cum substantiâ, cum quantitas immediatam habeat unionem cum materiâ, nec tamen ideò perfectior sit aliis accidentibus, quod fusius deducere huius loci non est. In *Secundò* argumento nulla est consequentia. Argumentor similiter. Quantitas est accidens. Ergò mediante aliò accidente erit in Subiecto, hoc cum sit etiam accidens, iterum erit in Subiecto mediante aliò accidente & sic in infinitum dabitur progressus, qui cum admitti non debeat, concedendum erit, posse accidens sine alio accidente interveniente esse in Subiecto, ut fundamentum quò inesse potest non necessariò sit accidens sed possit etiam esse substantia. In *Tertiò* negatur consequentia. Quod probationem attinet, respondetur concedendo, quod fundamentum interdum cum est Substantia, sit ipsum Subiectum, quo tamen non obstante, adhuc
aliter

aliter concipitur Subjectum, quatenus scilicet est id, in quo est relatio; aliter fundamentum, quatenus est id, quo mediante relatio alicui potest advenire. Unde hoc saltem obtinet argumentum, quod quatuor requisita, non semper sint realiter distincta, quod totum conceditur.

XXX. *Sanchiez Commentar. in Aristot. Log. lib. Categ. quest. XLVI.* fatetur substantiam posse fundamentum relationis esse, quatenus induit aliquam rationem vel quantitatis vel actionis vel mensuræ: Verum de explicatione hâc merito dubitatur: nam v.g. Petrus ad Paulum habet relationem, quatenus in humana natura ei est similis, cuius similitudinis fundamentum est Substantia, humana scilicet natura; at verò explicari vix potest, quomodo humana natura hoc loco induat rationem quantitatis vel actionis vel mensuræ. Sed sufficiat hâc de adducta quæstione disputasse.

XXXI. Quæstio etiam à Logicis hoc loco agitur, *an relatio una possit esse alterius fundamentum?* Cui facile poterit satisfieri, modo consideretur, quod fundamentum sit id, quo quid aptum est ad relationem, hinc fluit argumentum: Quo quid aptum est ad relationem, illud est fundamentum relationis. Atqui per relationem aliquam aptum est aliquid ad relationem. E. Relatio aliqua potest esse fundamentum alterius relationis, major est certa. Minor probatur, quia v. g. cum in Petro & Johanne est Paternitas, Petrus est similis Johanni (ratione scilicet Paternitatis) ubi, si quæritur, per quodnam aptus sit Petrus ad relationem nempe similitudinem, respondetur per Paternitatem. *Vid. plura apud Sanchiez lib. Categ. quest. XLVIII. Suarez Disp. Metaph. XLVII. Sect. XI. num. 5. seqq.*

XXXII. Difficilis etiam quæstio hic moveri solet, *Quomodo nimirum relatio à suo fundamento differat?* Ubi ad duas Sententias possumus dissentientes revocare. *Prima* est eorum qui statuunt, omnes Relationes à suis fundamentis distingvi realiter, sumpta distinctione reali late, quæ etiam comprehendit modalem. Hanc sententiam sequuntur fere omnes Thomistæ *Cajet. 1. Part. quest. 28. art. 2. Ferr. 4. lib. contra Gent. c. 14.* cui adstipulatur etiam *Scotus in 2. dist. 1. quest. 5. & in 3. dist. 8. quest. 1.* quam *Svarez* tribuit *Iavello* qui tamen *lib. 5. Metaph. c. 22.* contrarium statuit. Hanc sententiam

tiam probare videntur sequentes rationes, quarum 1. Ex nova atque reali acquisitione relationis desumitur. Nam dum corpus erat album & non erat simile, fit de novo simile per productionem novi albi: Unde sic argumentatur *Ruvius in Arist. Log. c. 7. quest. 14.* Primum album non erat realiter simile, antequam produceretur secundum: ergo cum producitur, fit realiter & formaliter simile; per realem relationem similitudinis: quam prius non habebat licet haberet albedinem; quæ est ejus fundamentum: sed relatio realis est realis forma relativa, Ergo acquirit formam realem relativam, quam non habebat, & realis forma est realis Entitas, ergo acquirit realem Entitatem quam non habebat; licet haberet fundamentum: Relatio igitur res est distincta à fundamento.

XXXIII. Probatur 2. Specialiter de relationibus fundatis in Substantia; Quia Substantia est Ens per se existens, nulli inhærens; at vero accidens reale ex propria natura inhæret Substantiæ. Sed repugnat, eandem entitatem realem per se existere, & inhærere alteri, quia esset simul per se existens & non per se, E. repugnat relationem esse eandem entitatem realem cum Substantia; quare necessum est relationem fundatam in Substantia, distingvi realiter à suo fundamento. 3. Quæcunque ita se habent ut uno destructo alterum permaneat in rerum natura, illa distingvuntur actu ante operationem intellectus & realiter. Atqui Relatio & fundamentum ita se habent, ut uno (scilicet relatione) destructo, alterum (Fundamentum scilicet) permaneat in rerum natura Ergo Relatio & fundamentum actu distingvuntur ante operationem intellectus & realiter. Minor probatur Exemplo v. g. dentur duo alba, inter ea datur vera relatio similitudinis, corrupto hoc, corrumpitur in illo realis similitudo tanquam vera & realis entitas & forma relativa & tamen ipsum fundamentum albedo scilicet in rerum natura salvum permanet.

XXXIV. Altera opinio asserit, nullam relationem distingvi realiter à suo fundamento; sed ratione tantum rationata, habente fundamentum in re. Ita sentiunt Nominales. *Ocham in 1. dist. 3. quest. 1. Gregorius Arim. dis. 28. quest. 2. a. 1. & alii, quos sequitur Suarez Disp. 47. sect. 2. & Stablius in Inst. Metaph. C. 5. Sect. 5. c. 6.*
Suarez

Svarez d. l. optimè rem explicat his verbis: *Intelligendum est, relationem quidem dicere formam aliquam realem, & intrinsecè denominantem proprium relativum, quod constituit; illam vero non esse rem aliquam, aut modum ex naturâ rei distinctum ab omni forma absoluta, sed esse in re formam aliquam absolutam, non tamen absolute sumtam, sed ut respicientem aliam, quam denominatio relativa includit seu connotat. Ita ut similitudo v. g. aliqua forma realis sit existens in re, quæ denominatur similis: illa tamen non sit in re distincta ab albedine quantum ad id, quod ponit in re, quæ dicitur similis, sed solum quantum ad terminum quem connotat, & ita similitudo in re non est aliud, quam ipsamet albedo ut respiciens aliam albedinem tanquã ejusdem seu similis rationis. Hæc Svarez.*

XXXV. Tertiò requiritur etiam ad Relationem Ratio Fundandi quæ nihil aliud est, quam conditio per quam Subjecto relatio actu inest. e. g. Paternitatis Ratio fundandi est generatio filii, posita enim generatione filii, actu ponitur paternitas in homine. Multi Autores hanc Conditionem confundunt cum præcedente, sed minus rectè. Nos, ut cum hæc descriptio eò melius percipiatur, tum discrimen appareat, nonnulla ex Svarezio præmittemus. Constat enim ex supra dictis, in omni relatione reali requiri ex parte Subjecti rem aliquam, naturâ suâ aptam & accommodatam, ut fundare possit respectum ad aliud, & hoc est fundamentum, de quo jam dictum. Præter verò hanc rem, fundamentum scilicet & entitatem Subjecti, requiritur aliqua alia conditio, medians inter fundamentum & terminum ab iis distincta, ut relatio actu consurgat, quâ ratione necessaria est generatio ad relationem paternitatis & filiationis, ipsâ enim non interveniente, hujusmodi relationes oriri nequeunt, nec actu unquam existunt. E. illa conditio necessaria est ad hujusmodi relationum consistentiam, & tamen non est fundamentum relationis, quia ipsâ non existente seu destructâ, manet relatio inter Patrem & Filium: at destructo fundamento, fundatum in eo esse nequit. Appellatur autem hujusmodi conditio, *Ratio fundandi*, solum quia ad ortum & originem relationis est in aliquibus necessaria; Svarez magis propriè *Conditionem necessariam* quam *fundandi rationem* dici posse putat.

XXXVI. Monet insuper Svarez *Disp. Metaph. 47. Sect. 7. n. 13.* Non esse hoc generale in omnibus relationibus, ut requirant si-

C

miles

miles conditiones ex natura rei distinctas à fundamentis & terminis actu existentibus ut consurgant. Nam v. g. Similitudo, quâ album albo simile dicitur, est relatio, cujus fundamentum est albedo, terminus alterum album, quibus ita positis, in rerum naturâ, sine addita aliâ conditione, consurgit relatio, Similitudo ut præter albedinem tanquam fundamentum opus non sit alia conditione tanquam ratione fundandi, quæ à fundamento sit distincta. Notanter dico: *quæ à fundamento sit distincta*. Nam ad omnem relationem requiri rationem fundandi, conceditur, Sicut enim ad omnem relationem requiritur ut unum actu referatur, ita ad omnem relationem requiritur ut adsit id, per quod unum ad alterum refertur, & hoc est ratio fundandi; eam autem realiter & quidem semper à fundamento distingvi, negatur.

XXXVII. Sequitur *Terminus*, de quò monendum est, quod non fit confundendus cum Correlativo. Correlativum enim est denominativum deductum à relatione alteri opposita, quam proinde formaliter includit, sicut v. g. Filius est correlativum Patris, & filiationem Paternitati oppositam formaliter complectitur. Contra, terminus formaliter nullam relationem includit, sed aliquam relationem terminare potest, estque res absoluta; id scilicet quod aptum est terminare relationem, non tamen actu terminat, nisi cum existit etiam fundamentum, illud autem quod aptum est terminare relationem nec semper actu terminat, naturâ prius est actuali terminatione. *Potentia enim prior est actu*. Hinc cum Isaac consideratur præcisè ut est filius Abrahami, non est terminus paternitatis, sed correlativum Patris. Nam filius Patre, Filiatio Paternitate non est prior natura, sed simul sunt, *Relata enim sunt simul naturâ*. Isaac autem sumptus ut est persona aliqua, præcisâ filiatione, est Terminus paternitatis Abrahami, quia suâ naturâ prior est paternitate, prius scilicet est personam genitam, v. g. Isaacum posse terminare Paternitatem, quam actu eam terminare. Imò actu eam non terminat nisi cum etiam persona gignens v. g. Abraham existit. Ex quibus constat, *Terminum hoc loco esse id, ad quod aliquod potest referri*.

XXXVIII. Aperti igitur erroris argui possunt illi, qui per terminum intelligunt *Causam finalem* relationis v. g. Conjugii terminum

num dicunt esse finem ejus, nempe generationem prolis & mutuum auxilium. Verum si rem rectam reputaverimus viam hanc opinionem minus accuratam esse deprehendemus. Nam relatio proprie non habet causam finalem, quod probatur hunc in modum: Quicquid non habet causam efficientem, illud non habet finem seu causam finalem. Atqui Relatio non habet causam efficientem E. non habet finem. Major probatur, quia finis ab efficiente intenditur, ubi autem efficiens non est, ibi quoque finis non potest esse, qui intenditur ab efficiente. Minor probatur, quia Relatio non est intenta ab aliquo agente, seu non fit per intentionem alicujus agentis ad modum aliorum, sed resultat tantum per concomitantiam ex Fundamento & Termino, ut fusius ostendit Suarez *Disp. Metaph. 47. Sect. 6. n. 1.* Quod attinet allatum exemplum, illud nihil probat. Negamus enim conjugii terminum esse generationem prolis & mutuum auxilium, sed terminum conjugii dicimus esse ex parte Mariti, Uxorem, ex parte vero Uxoris Maritum. Unde posito etiam, relationem habere finem aliquem, nondum tamen sequeretur, finem relationis esse terminum ejusdem: sic in relatione mariti ad uxorem ponamus finem esse sobolis procreationem, & mutuum adjutorium, inde tamen non sequitur, hunc finem esse etiam terminum conjugii.

XXXIX. De termino hic quaeri solet, *an ad ipsum necessario requiratur, ut sit reale & positivum quid?* Negativa tribuitur Gregorio in *1. distinct. 28. qv. 23.* ubi docet, posse non tantum aliquid referri ad non ens, sed vice versa posse etiam non ens realiter referri ad ens. Eandem Sententiam defendit etiam *Barth. Medina*, qui ad probationem ejus duo adfert argumenta 1. Omnis Scientia refertur realiter in ratione mensurati ad suum objectum existens. E. etiam realiter ad objectum non existens. Consequentiam probat hoc modo: nam existentia nihil facit ad hanc relationem, quia objectum mensurans abstrahit ab existentia, quia est quid universale. &c. 2. Logica refertur ad suum objectum relatione reali, & tamen objectum nullo modo est, quia est ens rationis. Addi possunt alia, & quidem 3. Effectus refertur ad causam, causa autem interdum est non ens, ut finis E. Terminus ad quem aliquid refertur, est interdum non ens. 4. Si relatio totam suam rea-

litatem habet à fundamento, sequitur quod non requiratur terminus realis & positivus. Verum est prius E. & posterius.

XL. Verum probabilior est opposita sententia, quam probat *Svarez Disp. Metaph. 47. Sect. 8. n. 7.* ex principiis receptis de relatione, quod positio termino, ponatur relatio, & sublatio termino tollatur. Quo igitur non existente tollitur relatio, ejus existentia necessaria est ad relationem. Atqui non existente termino tollitur relatio. E. Existentia termini est necessaria ad relationem. Major est certa. Minor est principium de relatione receptum, ut *Svarez* loquitur. Ad argumenta facile respondetur. Et quidem quod *Primum* attinet, posset illud totum concedi cum nostrae sententiae plane non obstet. Probat enim saltem hoc, quod Scientia possit referri ad non existens, quod ad praesens nihil facit, quia sermo hic est de relatione praedicamentali, Scientiae autem relatio ad scibile est saltim transcendentalis, cum ad Scibile referatur scientia non ut pure terminum, sed etiam ut ad objectum. Posset etiam in argumento negari consequentia: quod probationem attinet, dicitur, existentiam nihil facere ad relationem, cum objectum tanquam universale ab existentia abstrahat. Sed petitur id quod in principio, falsum enim est, quod universale ab existentia abstrahat: id enim ab existentia abstrahit, quod eam non includit. At vero universale omnino existentiam includit, cum & universalia revera existant, quamvis in singularibus.

XLI. Idem respondendum est ad *Secundum*. Logica enim non habet ad objectum suum praedicamentalem relationem, unde secundum argumentum ad praesens nihil facit. Negatur etiam, quod Logicae objectum sit ens rationis, quod tanquam certum in argumento praesupponitur. *Tertium* quoque ad praesens parum facit, quia effectus ad causam non refertur relatione praedicamentali sed transcendentali, cum causam non respiciat ut pure terminum. In *Quarto* negatur antecedens. Eo ipso enim quo relatio consistit in nuda habitudine ad alterum, patet, quod sine altero (nempe termino existente) esse non possit, & consequenter esse suum à solo fundamento habere nequeat. Manet ergo quod terminus relationis praedicamentalis necessario debeat esse existens.

XLII. Un-

XLII. Unde multi terminum relationis quodammodo de essentia relationis esse dicunt, & ideò monent quod essentia dupliciter accipatur 1. Pro essentia ut est in se, & quod hoc modò est de essentia, est omninò intrinsecum, & idem cum re, de cuius essentia existit, & sic à Philosophis uno quasi ore conceditur, Terminum non esse de essentia Relationis, cum non sit intrinseca pars, neque genus aut differentia intrinseca relationis 2. Essentia aut de essentia illud dicitur, quod in definitione ponitur: hac ratione dicunt terminum esse de essentia relationis, quia non potest relatio secundum propriam rationem concipi & definiri, quin in tali conceptu aut definitione terminus includatur.

XLIII. Intricatissima etiam quæstio movetur de Terminò *utrum ille formaliter sit absolutus, an verò respectivus?* Verùm cum hæc controversia non tam utilitatem quàm difficultatem habeat, ideo paucula de eâ dicturi sumus. Notandum est ex Svarezio *Disp. Metaph. 47. Sect. 16. n. 2.* quæstionem non esse de formali denominatione termini ut actu terminantis, sic enim non est aliquid in re terminante, sed est denominatio extrinseca, sumpta ex eò quod aliud tendat in ipsum: sed est quæstio de forma & ratione, quæ in re quæ terminus est, requiritur, ut sit apta ad terminandum: Sic v. g. in Pariete visum esse, non est aliquid in pariete, sed est denominatio extrinseca, & est formaliter idem videri, quod terminare visionem, nihilominus tamen requiritur in pariete aliqua forma, quâ constituatur aptus ad terminandam visionem, & est color: Ita cum dicitur aliquid actu terminus relationis, est hæc denominatio extrinseca, sumptâ ex hoc, quod ab aliò aliquò respiciatur actu, supponitur tamen ratio vel causa aliqua in termino, ob quam aptus sit terminare relationem, cum non omnes res possint quamcunq; relationem terminare, sicut posito pariete albo, alius paries niger non potest terminare relationem, quâ ille dicitur similis huic; si autem & alius albus sit, hic aptus est ut sit terminus similitudinis illius. De hac igitur ratione terminandi hic quæritur, an sit absolutum an respectivum quid?

XLIV. Quod autem terminus seu ratio ista terminandi sit absolutum quid probatur hoc modo: Quod naturâ prius est relatione, illud non includit formaliter relationem, sed est res absoluta.

Atqui terminus naturā prior est relatione. E. non includit formaliter relationem, sed est res absoluta. Major patet, quod enim est cum relatio nondum est, vel nondum esse concipitur, illud non potest esse relativum quid, cum nulla adsit relatio, erit ergo absolutum quid. Minor probatur ex supra dictis, ubi Terminum diximus esse id, quod aptum est terminare relationem, illud autem quod aptum est terminare relationem, nec semper actu terminat, naturā prius est actuali relatione. Deinde non per aliquid relativum sed per absolutum, formam scilicet quæ fundat relationem oppositam, satis fit quærenti cur unum referri possit ad aliud? Illa autem forma est terminus vel ratio termini relationis, sic si quæritur cur filius referatur ad Patrem? Non recte respondetur, quia pater refertur ad filium, adeoque per relationem oppositam, sed quia pater ipsum genuit. Atque sic terminus non est relatio opposita sed aliquid absolutum, vis scilicet, aut potentia generativa. *Vid. plura apud Suarez d. l. Mendoz. Diss. Metaph. 15. Sect. 7.*

XLV. Hactenus consideravimus ea quæ ad constitutionem Relationis requiruntur, restat ut de effectibus ejus formalibus qui sunt *Relatum & Correlatum* pauca dicamus. Est autem *Relatum nihil aliud quam Subjectum cum relatione. Correlatum est terminus cum relatione.* e. g. Relatum est homo sumptus cum paternitate, Correlatum homo cum filiatione seu filius. Ubi notandum est, Relatum & Correlatum has diversas acceptiones tantum accipere à nobis, omne enim relatum est correlatum & omne correlatum est etiam relatum, ut Pater est relatum, filius ejus correlatum, & contra, si Filius refertur ad patrem, filius est relatum, & Pater correlatum.

XLVI. Hic quæstio agitari solet: *An relatum definiri possit per correlatum: vel, An in definitione Relati v. g. Patris, poni debeat correlatum v. g. Filius?* Affirmativam sententiam videtur confirmare ipse Aristoteles 6. Top. 4. §. 13. cum monuisset, oppositum non esse definiendum per oppositum, ita scribit; *Sed non est ignorandum, quedam fortasse non posse aliter definiri, ut duplum non posse definiri sine dimidio, & quæcunque per se ad aliud referuntur, nempe Relata, in his omnibus eadem est essentia, & ad aliquid quodammodo affectum esse.*

Quare

Quare fieri nequit, ut sine alterius notitiâ comparatur, proinde necesse est, ut in alterius definitione alterum quoque comprehendatur. Item Lib. Categ. c. 7. Relatum explicat per correlatum, cum juxta ipsum non recte dicatur, Servum esse hominis servum, sed servum esse Domini servum. Pro confirmanda hac sententia *Ruvius c. 7. ad aliquid quest. 8. n. 71.* urget autoritatem Porphyrii, qui Genus definit per speciem, cum dicit: *Genus est quod prædicatur de specie differentibus. Vid. Conimbr. in cap. de specie, Masius in Prædic. Relationis. Fonseca lib. 5. Inst. c. 9.*

XLVII. Nos missis his, dicimus cum *Mendoza Diss. Metaph. 15. sect. 7. §. 55.* Relatum non esse definiendum per Correlatum & per consequens nec per se invicem definienda esse relatæ: Ratio est, quia juxta regulam Aristotelis, definitio debet constare ex prioribus; at verò correlatum non est prius relato, cum relata sint simul. Et, si in definitione relati ponitur correlatum, idem certè definitur per se ipsum, sive in definitione ponitur sui ipsius e. g. Si Pater definitur quod sit is qui habet filium, sensus hujus definitionis erit hic: Pater est is qui habet eum, qui habet Patrem, nam definitio potest stare pro suo definito. Confirmatur hæc sententia ipsa praxi Aristotelis. Nam *Materia & Materiatum, Definitio & Definitum*, relatum & correlatum sunt. At in definitione *Materiae* non posuit vocem *materiatum*, sed dixit eam esse id, ex quo aliquid fit, cum insit, esse *Subiectum cujuscunque rei*. Sic *Definitionis naturam* non per *Definitum* sed per *orationem significantem, quid res sit explicavit 1. Top. c. 5.* Item sentit *Arniseus lib. de Republ. cap. III. Sect. 2. §. 20.* reprehendens definitionem, quâ *Servitus* dicitur quod sit *constitutio juris gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam subjicitur*. Nam inquit: *Cavillo excipit posset vocula Domini, quasi ignotum explicetur per ignotum. Relata enim æque nota sunt & ignota; & nugæ sunt, si quis definiat Subiectum quod habet adjunctum, & vice versâ aut Patrem qui habet filium: qui enim nescit quid sit servitus, ne is quidem sciet quid sit dominium. Hæc ille. Vid. et. Svarez Diss. Metaph. 47. Sect. 17. n. 7. Scot. 1. Distin. 30. quest. 1.*

XLVIII. Ad rationes contrarias antequam respondeatur, Sciendum est, Relatum & Correlatum posse considerari dupliciter (1.) *Formaliter*, & ut relatum aut correlatum est, & formaliter alteri

teri relato opponitur. (2.) *Materialiter*, seu pro subjectò relationis, sic pater considerari potest 1. quatenus paternitatem, & filius quatenus filiationem includit, qua ratione *formaliter* spectantur: 2. si Pater & Filius ut homines considerantur; considerantur *materialiter*. Jam ad 1. Aristotelis locum Respond. concedendo, Relatum definiri per aliud ad quod refertur, idque correlatum est, sed negatur definiri debere per id, ad quod refertur ut formaliter est correlatum & ipsi oppositum, cum ipse Philosophus non definiverit relata per correlata & opposita eorum formaliter sumpta. Ad 2. locum Philosophi *lib. Categ. c. 7.* R. Eum ibi non agere de modo definiendi relata, sed proponere saltem quandam eorum proprietatem. Nam ipse Aristoteles *Servi naturam lib. 1. Polit. c. 4.* exprimens, non usus est voce *Dominus*, sed ex ipso talis colligitur definitio: *Servus est instrumentum Patris familias animatum, rationis compos, quod totum est ipsius.* Denique ad auctoritatem Porphyrii R. Posse certo modo tolerari definitionem relati per correlatum formaliter sumptum, si scilicet correlatum formaliter sumptum non vicissim ingrediatur definitionem relati. e. g. in definitione *Generis* ponitur *species* tanquam correlatum, hoc potest tolerari, quia *Genus* non vicissim ingreditur definitionem speciei.

XLIX. Consideratis iis, quæ ad relationem necessaria sunt, ut & effectibus ejus formalibus, relato scilicet & correlato, restat etiam hoc, ut quasdam relationum divisiones subnectamus, Plures autem adfert *Didac. Masius comment in Log. Arist. Schol. in cap. de Relat.* ex quibus præcipuas assumemus. Primò, alia relata sunt *Mutua* alia *Non mutua*. *Mutua* Masius illa vocat *quæ sunt ejusdem ordinis, inter quæ intercedit mutua dependentia*, ut sunt *Dominus & Servus*: *Non-mutua* illa vocat, *inter quæ non est mutua dependentia*, sicut *scientia* dependet à *scibili*, non autem *scibile* à *scientia*. Verùm hæc divisio non spectat ad relata *Prædicamentalia*, cum *scientia* sit ex *transcendentalibus*. *Deinde. Relata quædam* dicit *esse ejusdem nominis*, ut *simile*, *dissimile*; *quædam verò diversorum nominum*, ut *Pater & Filius*, *Dominus & Servus*. *Tertiò* Alia referri ait sine casu aliquo, ut *magnum & parvum*, alia cum aliquo casu, ut *Pater & Filius*. Ea quæ referuntur cum aliquo casu, quædam referri ait
cum

cum casu gignendi, ut Dominus & Servus, alia cum casu aufe-
rendi, ut Scibile & Scientia, dicimus enim Scibile est scientiã
scibile: referri etiam ait alia cum aliis casibus.

L. Dividi Deniq; solent Relata, in relata *Equiparantie* & *Dis-*
quiparantie. Hæc divisio à variis variè explicatur. *Lovanienses*
lib. Categ. c. 7. Distinctionem hanc ex æquali vel inæquali nobi-
litate declarant. His igitur Relata *Equiparantie* erunt quæ
eandem dignitatem habent, ut sunt similes amici. Relata autem
Disquiparantie erunt, quæ eandem dignitatem non habent, ut
Dominus & Servus. Verum ex varietate ista *Nobilitatis* & *Di-*
gnitatis non sumitur nisi discrimen accidentale, non verò speci-
ficum vel essenziale, *Coll. Conimbr. in libr. Categ. c. 7. quest. 2. a. 2.*
Relata *æquiparantie* vocat illa, quæ idem nomen habent, talia
sunt, Dissimile, Simile, Utrumque enim horum relatorum ean-
dem appellationem suscipit, sic ut & Relatum dicatur Simile &
correlatum. Relata verò *disquiparantie* vocat, cum nomina
relati & correlati sunt diversa, ut Pater & Filius, Dominus &
Servus. Sed hæ differentie iterum nimis sunt accidentales, &
coincidunt hoc modo hæc divisio cum secundâ. Alii dicunt
Relata Equiparantie ea esse, cum fundamenta sunt ejusdem rationis.
Disquiparantie ea, cum fundamenta sunt diversarum rationum.
Et hæ descriptiones videntur cæteris probabiliore. Nam re-
lationes suam formalitatem à fundamento habent, imò secun-
dum rem sunt ipsum fundamentum, hinc quando est diversa ra-
tio fundamentorum, relationes etiam sunt diversarum ratio-
num, & tunc dicuntur *Disquiparantie*. Quando autem funda-
menta sunt ejusdem rationis, etiam relationes sunt ejusdem ra-
tionis & hæ appellantur *Equiparantie*.

LI. Hisce sic positis aliqua de Proprietatibus Relationis, quas
Philosophus *lib. Categ. c. 7. §. 5. & seqq.* annotavit, dicenda sunt,
quarum I. hæc est. *Relatis inest contrarietas*. Non tamen omni-
bus relatis contrarietas inest, ut ipse Aristoteles ait; nihil enim
contrarium est duplo aut triplo. Néc intelligenda est regula
de relatis in ordine ad sua correlata, quasi nimirum Relatum
correlato contrarium sit, hoc modo enim, ut notum, Genus op-
positionis peculiare & à contrariis distinctum habent relata;

D

Sed

sed alio respectu id intelligendum, nempe respectu eius, quod correlatum non est, sicut scientia dicitur contraria ignorantia, quæ non est correlatum scientiæ, quamvis quidam Interpretes de relatis Transcendentalibus tantum eam explicent, at tamen nihil impedit quo minus eadem etiam intelligatur de prædicamentalibus, sed non nisi ratione fundamenti, ejusque conditionum, ut si fundamentum habet contrarium etiam relata sint contraria.

LII. Proprietas II. *Relata suscipiunt magis & minus.* Neque hæc omnibus competit Relatis, nec etiam per se, sed ratione fundamenti intelligenda est Regula. e. g. quia album recipit magis & minus ideò simile (ratione albedinis) recipit magis & minus, cum unum magis alterum minus simile dicatur, & quidem ratione fundamenti, scilicet albedinis.

LIII. Propr: III. *Relata dicuntur ἀντιστρέφοντα ad ea quæ convertuntur.* Ubi per ea quæ convertuntur, intelliguntur ea, per quæ explicantur relata, ita ut ipsa vicissim per ea explicentur, & sensus regulæ est: Relata explicantur mentione eorum quæ vicissim explicantur mentione ipsorum, sive eosdem sive per diversos casus id fiat. Verum autem correlatum assignari debet, cujus nomen si desit, fingendum est, juxta regulam ab ipso Aristotele nobis relictam, quæ hæc est: *A nomine relati cui correlatum assignare volumus, sumendum est denominativum, quod omnia comprehendat, ad quæ illud relatum refertur, sicut à capite deducitur capitatum quod omnia comprehendit, quæ capite prædita sunt.*

LIV. Propr. IV. *Relata sunt simul naturâ.* Ad hoc ut aliqua sint simul naturâ, duo requiruntur. 1. est ut *reciprocentur quoad essendi consequentiam*, hoc est, ut ex eo, quod unum est in rerum natura, sequatur & alterum esse, & vice versâ. 2. *Ut unum non sit causa alterius* e. g. Pater & Filius sunt relata & sunt simul naturâ. Si enim pater est, filius etiam est, & si filius est, pater quoque est. Pater etiam non est causa filii, nec filius Patris; in quantum nimirum secundum esse relativum & formaliter considerantur, aut secundum ipsam relationem, etsi id esse possit in iisdem, secundum esse absolutum Subjecti, quâ ratione regula de iisdem non intelligitur.

XV. Propr:

LV. Propr: V. *Qui novit unum relatorum definitè, eum necesse est cognoscere & alterum.* Quidam proprietatem hanc intelligunt de notitia existentia hoc sensu: Qui novit unum relatorum esse: is novit etiam alterum relatorum. Alii intelligunt de notitia essentia & definitionis; veluti qui novit definitionem Patris, novit etiam definitionem filii. Simplicissima est sententia, si dicatur. Aristotelem hoc maxime intendere, ut per definitè cognoscere, intelligatur cognoscere *particulariter & determinatè.* Sic e. g. qui novit duplum in particulari nempe octo, novit etiam dimidium in particulari nempe quatuor.

LVI. Sub finem annectendum aliquid est de relationibus divinis, quæ in duplici sunt differentiâ, ut monet *Becanus Theol. Scholast. tract. 2. c. 2. quest. 1.* Aliæ dicuntur ad *Intra*, aliæ ad *Extra*. Ad *Intra*, ut cum persona una refertur ad alteram, Pater ad Filium, Filius ad Spiritum Sanctum & sunt v. g. Paternitas, Filiatio, Spiratio. Ad *Extra*, per quas DEUS refertur ad creaturas ut cum dicitur Dominus creaturarum, Creator, gubernator & conservator.

LVII. De Relationibus ad *Extra* controversia agitur, an ex parte DEI sint reales? Multi sunt qui negativam defendunt, dicentes eas ex parte creaturarum esse quidem reales non autem ex parte DEI, in DEO enim reales esse negant & docent esse saltem relationes rationis. Ita inter alios etiam docet *Becanus Theolog. Scholast. tract. 1. c. 9. quest. 13. n. 10.* qui utitur hoc argumento. Si talis relatio in DEO est realis, aut est Prædicamentalis aut Transcendentalis. Neutrum est verum. E. non est realis. Consequentia est certa. Consequens autem quoad utramque partem esse falsum, probat *d. l.* hoc modo: Si est Prædicamentalis, erit accidens. DEUS autem non est capax ullius accidentis: nec etiam est relatio Transcendentalis, quia hæc facit rem essentialiter referri ad aliud. At vero DEUS non refertur essentialiter ad creaturas, alioquin essentialiter dependeret à creaturis, tanquam à terminò, quem essentialiter respiceret. DEUS autem essentialiter est independens ab omni creaturâ. Addunt alii, ad relationem realem requiri ordinem, inter DEUM autem & creaturam nullus ordo datur.

LVIII. Verùm sententia hæc non videtur admittenda, unde dicendum potius videtur, istas relationes, per quas DEUS ad creaturas refertur, esse reales, quod probatur hoc modo: Quæcunque Relatio alicui competit nemine cogitante & citra mentis operationem, ea est realis. Atqui relatio, quâ DEUS ad creaturas refertur, competit DEO nemine cogitante. E. relatio ista est realis. Major ex terminis clara est. Minor quoque patet, quia sicut nemine cogitante DEUS est creaturarum Dominus: ita nemine cogitante DEUS ad creaturas habet relationem. Et fane si DEO citra mentis nostræ operationem non competeret relatio, quâ tanquam Dominus refertur ad creaturas, sequeretur DEUM ad creaturas tanquam Dominum non referri, nisi nos concipiamus DEUM tanquam Dominum, ex quò tandem hoc sequetur, DEUM non esse revera Dominum, sed tantum per mentis nostræ operationem, & sic DEUM esse fictum Dominum vel plane non esse Dominum, quod absurdum. Idem de aliis relationibus sentiendum.

LIX. Rationes pro altera sententiâ allatæ non sunt difficiles. Quod attinet Becani rationem, videtur dicendum, relationem in DEO modò prædicamentalem esse, ut cum ad creaturas tanquam Dominus refertur, modò transcendentalem, ut quando refertur tanquam Creator, ibi enim non refertur ad creaturam tanquam ad purum terminum, sed etiam tanquam ad effectum.

LX. Quod dicit Becanus, Prædicamentalem Relationem esse accidens in Deum autem non cadere accidens: ad id respondetur, in Deum non cadere accidens, quod scilicet in ipsò recipiatur per potentiam passivam, & hoc quoq; non fit, licet Deo tribuatur relatio prædicamentalis. Nam si v. g. relatio, qua Deus ad creaturas ut Dominus refertur, Deo tribuitur, importat potissimum duo
1. Fundamentum, 2. Terminum. Quoad fundamentum in DEO non recipitur per potentiam passivam, quia fundamentum istud est idem cum essentiâ divinâ, quodcunque etiam ex attributis dicatur fundamentum: multo minus relatio ista in DEO recipitur per potentiam passivam ratione termini. Nam terminus est creatura, quæ est extra DEUM. Patet ergo quod relatio, licet dicatur Prædicamentalis, non sit accidens in DEO receptum per poten-

potentiam passivam, qua ratione etiam non tollitur in DEO simplicitas.

LXI. In altero de transcendentali relatione negatur, quod omnis relatio transcendentalis sit essentialis. Essentiale enim est, quod ad primum rei conceptum spectat. At vero quis dixerit ad primum conceptum v. g. Sartoris spectare, ut ad hanc vestem referatur, quæ est relatio transcendentalis? Idem de aliis sentendum. Quod alii dicunt ad relationem requiri ordinem, id, si ordo propriè sumitur, destruit naturam relationum. Nam ordo propriè importat prius & posterius, at vero relatorum unum non est prius vel posterius altero; Confugiunt quidem ad explicationem huius ordinis, & per illum intelligi dicunt tantum inclinationem unius ad alterum. Verùm si duo alba dicuntur similia, nulla inter illa est inclinatio, possunt ergo relata esse sine inclinatione unius ad alterum.

LXII. Relationes ad intra quod attinet, de illis quæri solet, an reales sint an rationis? Ubi certissimum est, esse reales, Sicut enim prima persona realiter est Pater, secunda realiter Filius, tertia realiter Spiritus Sanctus, ita & Paternitas, Filiatio Spiratio sunt relationes reales, Objici posset: Omnem relationem realem supponere duo extrema realiter distincta, quod de Paternitate & Filiatione non procedit, cum hæ relationes non supponant Patrem & Filium, sed constituent, Respondet Becanus quod id fiat saltim in relationibus creaturarum, non autem divinis: reddit rationem, quia relatio creaturæ realiter est accidens, ergo præsupponit subiectum: relatio autem divina non est accidens, ergo non requiritur, ut præsupponat Subiectum.

LXIII. Quæri etiam hîc solet, an relationes DEI ad intra importent perfectionem? Missis illis quæ Aureolus, Ocham & Gabriel 1. Dist. 19. disputant, simplicissimè responderi potest, quod omnino relationes DEI ad intra importent perfectionem, ratio est, quia sunt à parte rei idem cum essentiâ divinâ. Sicut enim hæc est perfectissima, ita relationes quoque non possunt non importare perfectionem. Vid. Becan. Theol. Scholast. tract. 2. c. 2. q. 6. Suarez 1. Part. Thom. tract. 3. l. 5. c. 1. & seqq. Plura hâc de re adferre cum ad forum nostrum non spectet, hîc pedem figimus.

Corollaria.

I.

Objectum Logicæ non sunt *omnes res*.

II.

Prædicatio non recte dividitur in Prædicationem *in quid* & *in quale*.

III.

Dubitatur etiam de illâ divisione, quâ dividitur in *Intrinsicam* & *Extrinsicam*.

IV.

Esse *Potentiâ vel actu* non est attributum Entis.

V.

Neque *Verum* est attributum entis.

VI.

Universale in essendo esse certâ ratione singulare quid & quidem absolute non est absurdum.

VII.

Mysterium Trinitatis ex lumine rationis cognosci & demonstrari non potest *contr.*
Kekerm. l. 1. Syst. Theol. c. 3.

TU quoq; materiã nostris das, *Docte*, Camœnis,
Atq; tui dotes exeris ingenii.

Dum sub BECHMANNI clypeo meditare Sophiae
Pugnas. Has laudo, & gratulor inde tibi.

Perge ita; perge, precor, tam celsum scandere culmẽ;
Perge; quod inceptum est progredietur opus,
Cum Fortuna tuos fautrix augebit honores,
Atq; Patri & Patriæ talia plura dabis.

Dn. Hanzelio,

*Autori Disputationis doctissimo, amicã
mente & Calamò pauculos hos versus
gratulationis causã adponit*

JOHANNES ZEISOLD, Phys.
Prof. Publ. Honorarius.

Ad

Præ-Eximium & Prestantissimum

DN. JOHANNEM HANZELIUM,
Conterraneum & Amicum suum observantèr ob-
servandum, Gymnasmatìs hujus gymnastam
eruditum.

NON possidentem multa vocaveris
Rectè beatum: rectiùs occupat
Nomen beati qui Deorum.
Muneribus sapienter uti.

Virtute

Virtute callet; quique perasperam
Coelum & negatam tentat iter viam.
Coetusque vulgareis & udam.
Spernit humum fugiente penna.
HANZELIUM ZELUS tenet arduus
Coelum negata tentat iter via
Tendit Lacertos, versat ARTES
Strenuus. Atque RELATIONIS
Docto refert prodit genium stilo
Dignum laborem perpetuis cedris!
Tu TE *relatum* post videbis
Inter & Aonides virebis.

Jacobus Zabler, Bartphâ-
Hungarus SS. Th. & Ph. Stud.



Ung. VI 37


ULB Halle
003 913 872 3



Sl.

V3 17







32

OGICA

ONE,

eo Salano

NO Bechmann/
ophiæ Profess.

ri ex-

ANSELLI,

garus

S P.

Julii

AN O

habs III. 2110